

constare? cum videamus amaritudinem in his quoque præpollere, quæ vel eorundem Authorum edicto sunt frigidissima, & sensuum iudicio leuissima existunt atque subtilissima. Camphoram bona Medicorum pars frigidam, Opium vero maxima frigidissimum, ita ut etiam suo algore internecio, benignum illum natium nostrum calorem extinguat, iudicauit. Et tamen in his qui summam amaritatem non sentier, lingua carere eum planè erit affirmandum. Quæ autem terrena crassities in Agarico non parum amaro, aut in Colocynthide pomo ut leuissimo, mollissimo, & tenuissime substantia, ita amarissimo, ut etiam sel Terra appelletur, conquam fuit animaduersa? ne dicam in Cucumeracei generis immaturis fructibus humidissimis, & Medicorum arbitrio valde frigidis, iniucundum planè & abominandum amarorem reperiri. Iam quoque ex sanguine dulcissimo, sel tamen, & aurium sordes amarissima separantur, illud quidem à suavi hepatis calore, hoc vero à mitissimo cerebri tepore, qui tantum abest ut decantatum illud in Philosophorum choro, & Medicorum foro Empyreuma possit inducere & relinquere, ut cerebri, si eius ad alias animalis partes internas fiat relatio, frigidum etiam statuatur. Et quis non nouit qui Chymicorum saltem limina salutauit, ex combustis herbis terrestrem simul cum Empyreumate substantiam remanere, ex qua illi salem salsum non amarum eliciunt? Itaque huius saporis natura non ita sicco pede transunda, sed exactius foret inquirenda, quod tamen præsens nec locus nec tempus permittit, id unum habet, ut natura nostra sit inimica maxime. nec nostra modo, sed & aliorum animalium, & quod magis mirari licet, plantarum etiam, cum in flagno bituminoso, seu mari mortuo salso pariter ac valde amaro, nec animalia, nec plantæ uiuant si Galeno credimus. Unde amara & vehementer alium subducunt, et, si quantitas excedat, veneni naturam quoque emulantur. Sic Napellus, Nux vomica, Helleborus, insignem habent amaritudinem, quæ si auferretur, proculdubio omnibus carerem viribus, ut in Hellebori nigri radicibus cuius experiri licet.

De AYOTECTLI, seu Planta Cucurbitæ susili. Cap. I.

Bryonia variegata. Null. Cucurbitaceæ.



VAM plantam Ayotectli quidam vocant, alij Chichicayotli, idest amaram Cucurbitam vocare solent, est enim Colocynthidis, Cucurbitæ uel siluestris species, nostro orbi incognita. Herba itaque hæc radicem fundit orbicularem, septem alijs minoribus, pluribusue, rotundis quoque hinc inde dependentibus, colore intrinsecus ex pallido purpurascente; extra uero fusco. ramos volubiles, eisdemque cum folijs, ac floribus Cucurbitæ hortensis similes, etsi minori magnitudine. vehementem radicem pilulæq; appendentes præferunt amaritudinem. Nascitur in montium Mexicanorum Tetzocanorum, & Quauhpepensum temperatis locis. Radix, quæ quartum siccitatis, atque caloris attingit gradum, drachmæ vnius pondere urinam euocat, & omnes humores purgat, per superiora atque inferiora, sed præcipue crassos, ac pituitosos, si ex aqua deuretur, aut paulò maiori pondere infundatur. securumq; reputatur medicamentum. Non est pomum Indis in vsu medico, cum tamen nostræ Colocynthidis fructui, magnitudine, forma, atque facultate respondeat, sed hac aliquanto mitiori.

De

De TZOCVILPATLI altera.

Cap. II.



HERBA est Tzocuilpatli altera, folia fundens Ocymi familia, sed longè maiora, profundius serrata, hispida, altera parte candescens, & Cibucpatli non dissimilia. caules teretes, hirsutos, subalbidosque, luteosque superiori parte. orbiculares & pilosos flores. ac radicem fibratam. Nascitur in montibus regionum calidarum, qualis est Panucensis. Radix est odora, resinosa, amaraque, & calida prope ordinem quartum temperici. Ius decocti eius ad tertias, semel dumtaxat bibitum, dicitur restituere motum impeditum. instillatum uero naribus, hemigræzæ mederi, detracta per nares pituita.

De AXIXCOÇA HVILIZPATLI

Tanguilnensis. Cap. III.



HERBA est Axixcoça huilizpatli folia proferens exilia leguminis. caulem tenuem, teretem, nodis distinctum. flores luteos, paruos, & siliquas paruas, Cicerum similes. radicem uero furculosam. Amara est. calefacitque, atque exiccat ordine tertio. etsi postremo dulcedinem quandam similem Glycyrrhizæ videatur ostendere. Ius decocti eius, pectoris asperitati medetur. ventris dolorem à frigore ortum, sedare, euocare urinam, & emundare illius meatus dicitur. unde nomen.

Inter legumina multa sunt herbe, quæ Glycyrrhizæ dulcedinem habent, ut Ononis, Aquilegia, Thalictrum minus, Tragacantha. cui tamen aliquando alius sapor coniungitur.

De

De AYOTIC, seu Proxahac herba simili testudini. Cap. IV.

AYOTIC, quam alij *Proxahac*, seu turgidum ac molle medicamentum, alij vero *Olatic*, seu rotundum & orbiculare vocant, herba est folia ferens tenuia, longiuscula, & Gramini *Chichimecalt* familia, in cuius species potest referri. caulem sesquidrantem longum, tenuem, iuncum, & per intervalla geniculatum. flores exiles, & candentes, ex quibus terna generantur granula candentia, & in triangularem coherentia formam, viridi membrana obrecta. radicem nuci Juglandi, forma & magnitudine similem, candentem, solidam, & lacte manantem. Nascitur in temperatis, aut feruentibus locis, veluti *Quaubchinanci*, & *Tepoztlani*. cum tamen *Chichimecalt* nascatur locis frigidis, atque campetribus, & vehementioribus polleat viribus. floret cum reliquis plantis. amara herba est, & subdulcis. ordine tertio calefaciens, atque exiccans. radix tusa duarum drachmarum mensura, ex aqua deuorata, aut infusa paulò maiori pondere, humores omnes perquam commodè euacuat per inferna. siue arida, siue virens recipiatur. etsi leui occasione ciet vomitum.

De ÇAÇANACA. Cap. V.



ÇAÇANACA herba est, quam alij *Coapalti* vocant, ita dicta à lanugine innata radicibus, quæ fouendo igni aptissimæ sunt, & fibris augentur fuluis, luteum tamen, si dentibus conterantur, ostendentibus colorem. Caules profert multos, rotundos, & prolixos, & in eis folia oblonga, serrata, ac veluti spinosa per ambitum. licet, cum primum à caulibus oriuntur, præincta sint, & quibusdam alis vtrimque exortis, nouam quandam foliorum representent figurâ. Flores in summo capillaceos, intrinsecus rubrescentes, extrinsecus verò candentes ex pallido. qui tandem abeunt in pappos. Radix est acris, & amara, calidaq; & sicca ordine tertio. statim discutit. & ab eo ortos dolores, frigore uè, vacuatis intestinis infusa, aut trium obolorum pondere epota tollit. lumbricos pellit, ac medetur defluxioni alui. idem præstat eiusdem puluis, ex aqua vinouè deuoratus duarum drachmarum pondere. præter quæ satietati medetur. aluum enim leniter soluit, urinam euocat, finit febres, ac ventris placat tormina. Vocant

cant hanc herbam *Micnacbanensis Xararum*. aiuntq; succum radicis mederi doloribus è lue Gallica profectis, semen retentum elicere, enixarum renes roborare, impeditum motum restituere, instaurare eos qui obstructionis, aut crudelitatis gratia sensim contabescunt, euocare menses, & lanuginem radici innascentem mederi vlceribus, & ignis apertissimam esse escam. Sunt & aliæ duæ *Çaçanace* species, quarum alteram *Xiuhotina* vocant, sed de his suis locis. Nascitur frigidis, humidisque, aut temperatis plagis, qualis est *Tezcocum* iuxta montes.

De ÇENANAM TEZCOQVENSIS, seu Matre spica Maizij.

Cap. VI.



ÇENANAM TEZCOQVENSIS, quam alij *Çenanli*, alij verò *Çentlinam* vocant, herba est folia proferens ampla, & obtusa, oblongaque, & Verbasco, colore, lanugine & amplitudine similia. flores verò candentes, & in muscarij modum compositos. radicem crassam, & longam. & fructum Siliquastro similem, semine plenum, vnde nomen. Temperatis, aut frigidis prouenit locis. Calida, & sicca constat natura ordine tertio. Amara est. vermes vlcerum necat, & quadrupedum confert inueteratis plagis. dolores dentium sedat, & tumores præter naturam apposita discutit. faeces induratas infusa educit. medetur cholicis, *Toloxochitl* ophyasi.

Nisi inter *Periplocas* reponatur hæc planta, vix video quo referri debeat. Coniecturam iuuant folia bina ex aduerso posita. siliqua similis *Asclepiadi*, flos in umbella albus. pediculus floris oritur ex ala folij, fructus Siliquastri, & quod præcipuum est, adpicta est & illa lanugo, qua in omnibus *Apocynis* reperitur. Vires etiam, ab amaritudine deductæ non abluunt. Repugnare tamen videntur folia *Verbasci* lanuginosa. Lactis etiam nulla fit mentio. quod tamen perpetuum non est. nam in *Iasmino*, *Vincaperuinca*, & *Asclepiade*, que tamen *Apocyno* sunt congeneres, nullum visitur. Denique an planta per se steret ne, ab Authore præteritum.

Pingitur etiam alia species in libro eiusdem nominis, sed folia largiora sunt, venis rubris perfusa, flores albi figura *Ranunculi*. quorum flamina lutea sunt, & siliqua ex omnibus foliorum alis enascuntur, seminibus referta, lanugo tamen nulla apparet.



De Ciuipatli Hemionitica.

HERBA hæc, quoniam mulierum medetur morbis, & Hemionitidi foliorum figura est similis, Ciuipatli Hemionitica vocatur. ab Hispanis verò mulieribus herba vterina dicitur. multos à fibrata radice mittit caules, tenues, rectos, teretes, & hirsutos. folia per interualla ab vtraque parte caulis, pingua, hirsuta, oblonga, mollia, & Hemionitidi quadantenus similia, vnde cognomen. floresque albos, in umbellam compositos. Omni regione, & tempore provenit. calida est, & sicca gradu tertio. ideoque ius decocti eius, aut succus exhiberi solet parturientibus, duarum unciarum mensura, vt facilius enitentur euentu felicissimo. Qui succus pectori quoque magnifice confert. trita folia, ac pugilli mensura, ex aqua, aut liquore aliquo conuenienti deuorata, placant ventris tumorem, hydropem curant, vrinam, ac menses euocant. Seritur radice, ac semine. habeturque in delicijs, non in hortis modo, ac viridarijs, sed in vasis quoque scissilibus sata, quibus domorum tabulata, atque fenestras matresfamilias illustrare consueuerunt, & hortos pensiles ornare.

Conyze similis videtur hæc herba. folia enim cauli absque pediculo adherent, mollia, oblonga, & hirsuta. Vires etiam Conyze ad vterum apud Hippocratem laudantur.

Alia vero Ciuipatli, quam huc reponimus, folio constat Althee, hirsuta. flores Parthenio similes, radijs albis, floccis vero luteis.

De

De Ciuipatli maiori.

Cap. IIX.



CIUIPATLI, seu fœminarum medicina, vocata maior, quoniã aliam ea minorem vincit magnitudine, Ciuipatli verò, quoniam vterinis medetur affectibus; radicibus innitur similibus capillis. è quibus edit caules tres spithamas longos. flores rubeos, paruos, in summis ramis spicatum compositos. folia penè Ocymi, sed magis orbiculata, & crenata. sapore amaro, & facultate tertio ordine calida, & sicca. confert mirum in modum vtero, euocandis menstruis, ac muliebribus morbis coercendis, vnde sumpsit nomen. Nascitur in calidis, ac montium faucibus.


De COALQVILTIC, seu olere Colubri. Cap. IX.

COALQVILTIC, quam alij *Tzatzayanatquiltic*, seu herbam Lacro similem vocant, herba est, folia ferens longa, crenataque, aut sinuosa, & Sympliciter alteri, vnde nomen, quadantenus similia. caules cauos, purpurefcentes ex albo, ac sceniculorum semen in muscarijs. radicem verò magnam, & surculosam, candentem, & crasso cortice vestitam, quæ succo madet. amara est, nec sine quadam acrimonia. calida tertio ordine, & sicca natura. Nascitur in montosis Culhuacensibus, benigno ac clementi cœlo. calida, vt dictum, subtiliumque partium est. vrinam euocat, discutit flatum, ventriculum calefacit, aluum lenit, choligos iuuat, ventris sedat dolores, vterinis succurrit affectibus. deuoraturque aduersus accessionum frigora, ex aqua resoluta. exhiberi etiam solet pueris febre laborantibus, atque natura grandioribus. quibus subuenit, causa fortassis aut percocta, aut profligata. Ius decocti radice, nutricum emundat lac, cum fortè vitiatum ob fatietatem.

Pastinaca aquatica speciem esse asserit ipse Author. vnde vires quoque similes ei adscribuntur.



De



De COACIHUIZPATLI
Dentium medicina.

Cap. X.

HERBA est Coacihuitzpatli, cau-
les ferens paruos, exiles, per ter-
ram sparfos, tenuissimis refertos folijs
per intervalla coaceruatis, ac candidis
flosculis. radix longa est, & tenuis. quæ
amara est, acrisque, & gradu tertio ca-
lens, & sicca. Nascitur clementi Hua-
xaca, & Tilanci celo. radix dolores, ac
præcipuè dentium lenit, & neruorum
contractiones soluit, duarum drachma-
rum pondere ex aqua deuorata aliquot
continuis diebus, singulis quibusque
semel.

Videtur inter *Lychnidis* species referri
debere.

De COCOZ XOCHIPATLI,
seu medicina lutei floris.

Cap. XI.



COCOZ XOCHIPATLI herba,
& flores Bupthalmi, luteos, vnde no-
men, radices Paoniz similes. nascitur
editis planisque locis, regionum tem-
peratarum, quale est *Acatlanum* Mistice
inferioris. radix calida est ordine tertio,
glutinosaque. dysenterijs medetur. vni-
cia vnius mensura deuorata, vomitum
sistit, sanguinemque vndecumque de-
fluentem.


Chrysanthemum hoc *Asteri* non est ab-
sile, flores quidem omnes lutei sunt, flocci
autem rubri.



De

De NAVIYTEPVZT quadrilatera. Cap. XII.

Capitaneja. Eodemo crocata.
Cap. Nahuatlantica.



NAVIYTEPVZT, seu quatuor
dorsis herba multiplex est. Prima ab
vna radice crassa fibrataque, multos edit
caules, tres circiter cubitus longos, & mi-
nimo digito paulo crassiores, fuluosque, &
foliaceis quibusdam appendicibus, secun-
dum eorum longitudinem è partibus qua-
ternis discurrentibus pennatos, vnde eue-
nit illi nomen, & in eis folia aspera, spicu-
lorum mucronibus ni longè maiora essent,
similia. flores luteos, stellatos, & Chrysan-
temo maiores. Prouenit regionibus tempe-
ratis, qualis est Mexicana. non tamen odit
calidiores, editauè, aut campestria loca.
Radiceum fibræ, calidæ & siccæ sunt ordine
tertio, odoratæ, acres, amaræ, resinosa, &
partium tenuium. hæ semidrachmæ pon-
dere contritæ, atque ex vino vel liquore
aliquo deuorata, satietati, vacuatis per in-
ferna esculentis vitiatis, medentur, & pustu-
lis è Gallico morbo ortis inpersæ, si prius

iure decocti *Ahuacatl*, & *Xalxocotl* lauetur. referantque, & abstergunt furuncu-
los. quin eandem radicem drachmæ vnius mensura deuorata, aiunt bilem
vomitu vacuare, & interdum aluo soluto, ac ciere vrinam. Sunt quibus pla-
ceat, maiori pondere deuoranda. nec non qui asserant euocare sudorem,
perfrigeratis mederi, & vacuata causa, pleurisi. febres etiam ipsas, & capitis
dolorem tollere. ac oculorum inflammationes discutere. imbecillum ventricu-
lum, ob frigidam causam, calefacere, firmareque. referare viscerum obstru-
ctiones, menses lentè fluentes trahere, cachexi subuenire, & frigidæ cuiusuis
visceris intemperiei ferre opem. Quin ius decocti enixis infunditur. foliaq; ad-
mota tumores præter naturam, aut coquunt aut dissipant. Secunda species
huius videtur planta quædam flore magno è luteo purpurascente, sed nullo
fere sapore, aut odore constante. quæ frigidam profert, ac humentem natu-
ram, febrientibus confert, & oculis medetur inflammatis. quamobrem *Tzpa-*
tl à quibusdam vocatur. et si *Chiautle*, vbi nascitur, nonnunquam *Pitzaboac*
cacaxpatli, frequentius verò *Cacaxtlacotl* vocetur. Quin & aliam *Nahuyteputz*
vidi differentiam apud *Tzocanenjes* radicibus Hellebori, acris calidisque, &
folijs careret, quando eam compleximus non curauimus depingendam. Est &
alia frigidæ temperiei, ac calore Iecoris nimio placando mirabilis.

E Carduorum genere videtur esse omnes prædicta.

Frigida
quædam.

De

De COPIPIN. Cap. XIII.

COPIPIN, quam alij *Coentli*, alij *Copiton*, alij *Ocopichin* vocant, seu plantam resinam stillantem, herba est proferens folia longa, angusta, sinuosa, & crenata. caules tres spithamas longos, genicularos, & purpureos. flores rotundos & coccineos. radices Asphodelo similes, quaternas quinasuè, resinam olentes, vnde nomen. Quarum succus, odoros ac glutinosus est, amarus, & sapiens resinam. folia Raphani folijs, sapore & odore similia, & eisdem penè viribus. calida, atque exiccanti ordine tertio natura referante, atque tenuium partium constat. Pulvis radicum resinæ abditus, frigus vndecunque pellit, dolores mitigat, ac flatum per se, ac mixta *Tlaltecmaxochitl*, discutit. pediculos necat, tenuat humores, ac pectori confert.



De PEÇO. Cap. XIV.

HERBA est Peço folia ferens ferrata, alis circa exortum insignia, mox sensim attenuata, ac dilatata rursus, iterumque attenuata, donec in mucronem finiant. denique forma quadam peculiari insignia, & quæ nullis alijs queant comparari, nisi fortassis cuiquam Soncho similia videantur. quæ pediculos habent dodrante longiores, è radice crassa proluxaque ortum ducentes. flores verò rubentes, pediculo breui, radici innixo appendos. Nascitur temperatis locis, regionis *Micmacanensis*. Radicis sapor initio subdulcis est, & impensè resinofus, postea verò amarus, & cuiusdam acredinis particeps, ac vis calida, & sicca ordine tertio. Pectori est vitilis radix, ventriculoque ex intemperie frigida imbecilli, aiuntque ventriculi dolorem illitam sedare.



DE TECPATLI. Cap. XV.

TECPATLI herba, est quinque cubitos longa. folia habens aspera, sinuosa, & oblonga. caules tenues, teretes, rectos, & sarmentosos. flores circa medium luteos, sed circumcirca purpurecentes ex albo, calycibus contentos scariosis. radicem verò crassam, fibratamque. Radix pastinacam sapit. sed resinosa est, & amara, glutinosaque, vnde nomen; calidæque, & sicca ordine tertio temperiei, & iucundi odoris. Succus radicis confert pectoris asperitatibus. tussique, & dysentericis miram præstat opem. ex eadem paratur viscum ad auiculas captandas valde opportunum.

Licet Auctor herbam conferat Pastinacæ quo ad saporem, non tamen ideo inter ferulaceas reponenda est. repugnat enim flos Bellidi similis, qui in medio luteus est, circumcirca vero ex candido rubescit. calyx etiam scaber non reperitur in umbelliferis in quibus nuda sunt semina.



De TEZOMPOTONIC, seu Capillis fetidis. Cap. XVI.

TEZOMPOTONIC, quam alij *Tlacochichie*, seu virgam amaram, alij verò amarum florem vocant, duorum est generum. primum herba est folia proferens ferrata, & oblongiuscula, salignaue. caules rectos, pennam anserinam crassos, ex viridi rubescentes. flores in summis caulibus candidos, comantes, odoros, & quadantenus Sambucinis similes. radices fibratas, fibrisue similes. Nascitur in humidis locis iuxta aquarum defluxiones. odora est radix, resinosaque, necnon calida, & sicca ordine tertio, ac nonnihil adstringens, & amaro sapore. Satiætatî medetur, menstrua euocat, & appetentiam excitat. Sunt qui asserant, pectori, eranthematisque, & prurini ius decocti eius mederi. Est & aliud genus *Tzac tlaco-*

godolbo.
me parca
non est in
ovo multo. Lin

Yza Tlacochichie

chichie vocatum apud *Huexocincenses*, tenuioribus folijs, & ad eadem vile.
An Virga quadam aurea?



De *TEPETLA XIVHITL*,
seu herba montana.
Cap. XVH.



HERBA est *Tepetla xihuitl* folia fundens Amygdali, longa, angusta, & serrata. caules tenues, teretesque, purpureos, sed paruos flores, iuxta ramusculorum extrema obrotundos, & vasculis contactos virentibus. radicem verò fibratam. Nascitur in calidis, humidisque *Tepoztlan* locis. odora est, calida, & sicca gradu circiter tertio. alui dolorem, ventriculique dicitur sedare, flatum discutere. ac infusa, & deuorata mederi satietati, mundato ventriculo.

De *TEPETLACHICHIX XIVHITL*,
seu herba amara in montibus proveniente.
Cap. XIX.



TEPETLACHICHIX XIVHITL, quam alij *Chiche xihuitl* vocant, herba est folia ferens *Chatmædrios*, odora, & serrata, aspera, & subalbescencia infernè. caules tres spithamas longos, tenues, fuscos, rotundos, ac læues. flores in summis caulibus è candido pallefcentes, atque pilulosos, in stellarum modum. vnde oritur oblongus, ac paruus fructus. radicem verò fibratam, candentemque. Nascitur in calidis collibus. radix est odora, & tertio ordine calens, atque sicca, & subtilium partium, non sine amaritudine, & cuius decocti ius satietati, & pectoris affectionibus plurimum inseruiat, semel singulis quibusque diebus matutino propinatum. pituitam enim, atque bilem, per superna infernaque expurgat.

De *TEÇONPATLI.* Cap. XIX.

HERBA *Teçonpatli* radici innititur Pyri forma atque magnitudine, aut paulò ampliore, dura, & colore in rubeum vergente, *Teconli* lapidem imitante, à quo sumpsit nomen. Solet autem hæc pendere ab alio tenui, longoq; & simili funiculo. Duplex huius plantæ species. Prima ab hac radice narrata fundit caules ternos quaternosque, læues, rotundos, geniculis interceptos, anserina penna paulò crassiores, ac refertos per interualla folijs longis, pinguisq; & circinnatis; interdum verò varijs ornatis modis, multis distinctis interuenijs, ac dorso purpureo. Fructus est similis Siliquaastro Indico, semine refertus plano, orbiculari, paruo, ac pediculis appenso. Nascitur montosis *Acolmani* locis. Radix est amara, grauis odoris, calidaque & sicca ordine tertio natura. quæ obstructions dicitur aperire, & putrida vlcera curare. Confert cholica, tussi, satietati, expurgandis intestinis, ac flatui discutiendo, si ex vino trium drachmarum mensura, duarum uè, fuerit deuorata. Folia lacte manant, quod impositum discutit furunculos. Altera species similis est radice & caulibus, sed folijs mollioribus, latioribusque, & minus numero discursu neruorum, infernè hirsutis, ac læuibus supernè, lac etiam stillans, amaroq; sapore, & simili temperie.

Prima longifolia.

Secunda latifolia.

Nec *Tithymalis* propter Siliquas, nec *Conuoluulis* ob eandem & satietatem, nec *Siliquastris*, cum lac habeat, adiungi potest hæc herba. vnde merito inter *Apocyni* ali-quod genus collocanda videtur.

De *TILACOPATLI Malinalcensi Aristolochia Mex.* III.

Cap. XX.

HERBA est *Tlacopatli Malinalcensis*, folia ferens cordis, scutorum uè figura, parua tamen. caules tenues, geniculatos, contortos, & volubiles. ac fructum oblongum, Ponticarum nucum ferè magnitudine. radicem verò fibratam. Nascitur *Malinalci*, *Hoitzoci*, *Tlacmalacaci*, & alijs temperiei similibus locis. Calida est ordine tertio, amara, odora, corroborantis facultatis, & acris saporis. radix surditati medetur. frigus, & ex eo ortos dolores, læuigata ac resinæ permixta pellit. discutit præter naturam tumores, & clarificat visum. secta in globulos, atque circumdata collo, resistit defluxionibus. frigora, horroresq; februm interpolatarum arcet. pleuritidique, vacuatis disculsisque humoribus, medetur. ossa perfracta aut luxata, resina permixta roborat, & instaurat. surditatem per se curat, & morbis opieulatur oculorum, status discutit, ac vniuersim morbis frigidis penè omnibus auxilio est.

Hæc *Tlacopatli* ex *Aristolochia* genere, prima *Tomahuac tlacopatli* lib. 2. c. 24. descriptæ similior videtur.

De TLALQVEQVETZAL Penna terræ. (cap. XXI.)



THALQVEQVETZAL, seu Penna terræ, nomen sumpsit à folijs pennas auium imitantibus, quamquam ab Hispanis Millefolium vocetur, quod Stratioti Millefolio antiquorum sit similis. herba est à radicibus fibris similibus multos caules edens, teretes, subrectos, & tenues, & quatuor, plus minusuè, dodrantes longos, ramulos per interualla hinc inde prodeuntes, refertos folijs, vt diximus, pennis auium similibus. flores in summis caulibus, postremisq; ramis ex albo in luteum tendentes, paruos, & in corymborum formam compositos. Prouenit in regionibus tam calidis, quam frigidis, totoq; anni decursu spontè emicat. circa irrigua tamen, fecunda, atque campestria loca. haberi solet in delicijs, præcipuè à matronis, quæ vsum maximum, & impensè salubrem ab ea passim veterinorum affectuum oppressæ molestijs suscipiunt. seriturq; ab eisdem in viridarijs, vasisq; fictilibus, nigra tamen, pinguiq; terra substrata. nam & crebra aquæ insperione, & sollicita domesticorum cura, lætior ampliorq; fieri solet. Amara est gustu, non sine quadam acrimonia, odora, tenuium partium, & gradu tertio cum siccitate calefaciens. Succus eius epotus vrinam ciet, menses euocat, & ventriculorum à frigida causa debilem, seu extra admoueas seu in puluerem redactam propines bibendam, corroborat, & firmat. status discutit, dyarrhæas sistit, vlcerebus pudendorum medetur, tumores præter naturam soluit, obstructions, & potissimum vteri referat, coloremque iamdiu elanguescentem corrigit, & instaurat. tusaq; & emplastri modo apposita, scabiem curat, capitibus puerorum innasci solitam, exiccante, extergenteque prædita vi. confert suffitus eius strangulationi vteri. Et in pessario obdita, aut è liquore quopiam conuenienti, puluere eius deuorato, partus accelerat, secundas pellit, retinet fluxum alui. tussimq; infantium, & prouectorum bibita curat. Nec desunt qui asseuerent, succum eius quinque vnciarum mensura epotum, purgare per vomitum omnes humores. quæ omnia adeo sunt à Stratiote Millefolio antiquorum aliena, frigida nempe naturæ planta, vt quamuis sit illi forma per similes, atque ideo ad illius species fortassis referenda, ab ea tamen viribus longè abest.

Sæpe fit vt plantæ eiusdem generis, viribus multum inter se differant. præsertim vero saporibus. sic inter Rumices, multum differt Lapathum commune ab Acetosa. idem etiam contingit inter Tanacetum, Ageratum, Millefolij species. quarum vna purgat, alia

alia sistit purgationes: Idem videmus in Vicina, cuius folia vehementer astringunt, flos tamen, & semen vrunt. Quod quidem non aliunde oriur, quam ex diuersa salis cum terra mixtione. nam si minus sit salis quam terra, sapor oritur austerus; si plus, acris. Crescit autem copia salis ex humidiorè & pingui terra, in qua magnam nitri quantitatem inesse conspiciamus. Vnde non mirum Millefolium Americanum esse amarum & acrius quam nostrum, cum non tam calum ibi humidius & calidius, sed & cultura similis à mulieribus adhibeatur.

De TOTONCAXOXO COYOLLIN, seu Riurum Medicina.

Cap. XXII.



TOTONCAXOXO COYOLLIN quam nonnulli Atchupatlî vocant, seu medicinam iuxta riuos prouenientem, alij Tetxoxo coyollin; herba est vnicum caulem proferens, coccineum, cauum, rarisq; folijs rubrescentibus, ac viriginis referentum, nec palmitibus quibusdam rubrescentibus dissimilem. flores rubeos, & orbiculares, è pediculis longis dependentes. semen verò exile, & quod è luteo colore in coccineum vergat, inclusum vasculis trigonis, papilionum ferè forma, in eamq; figuram compositis, vt si rubrescenti ac orbiculari membranz, circulum alterum concolorem eiusdem materiei, ita vt angulos rectos efficiant, inferueris. radicem verò rotundam, candidam, ac totam ferè capillis inuolutam. Prouenit montanis, saxosisq; locis, regionum temperatarum, qualis est Mexicana, & Tetxatquensis. Amarum saporem radix præfert, & nonnullum acorem, tertij ferè ordinis calorem nata. eadem tusa, & infusa è liquore aliquo eidem rei vtili, expurgat intestina, semen retentum pellit, inflammatis oculis confert, & vrinam elicit. deuorata verò sesquidrachmæ mensura, humores omnes per inferna. detrahit.

Inter Lapathi species hanc reponendam esse, cuius manifestum est. vnde vires etiam respondent, quæ similes sunt ipsi Rhabbaro. quod etiam & amarum, & acridum est.

